

William Camden
Britannia (fourth edition)
London
1594

BRITANNIA

SIVE
FLORENTISSIMORVM REGNORVM,
ANGLIÆ, SCOTIÆ, HIBERNIÆ, ET
Insularum adiacentium ex intima antiquitate
Chorographica descriptio.

Authore GVILIELMO CAMDENO.

Nunc quarto recognita, & magna accessione post Germanicam æditionem adaucta.

LONDINI impensis Georg. Bishop. 1594.

.....

236

<239>

Cantium.

Ad Cantium nunc perueni, quam regionem licet Guilielmus Lambar= dus, vir insigni eruditione, & moribus sanctissimis ornatissimus, adeo graphice iusto volumine descripserit, vt curiosa eius fœlicitas pauca aliis reliquerit; pro suscepti tamen operis ratione, eam quoque percurram, & ne sublesta, vt inquit Comicus, fide me agere quis existimet, eum mihi fundum, & fontem fuisse libens merito hic agnosco.

Carion corrupte apud Diodorum Siculum.

Nomine antiquo non dum tempus hanc regionem spoliauit, sed vt Cæsari, Straboni, Diodoro Siculo, Ptolemæo, & reliquis Cantium dictum fuerit, sic Saxonibus, teste Nennio, Cantuarland, id est, regio vironum Cantium incolentium, & nobis Kent. Hoc nomen a Cainc, quæ Britannis frondem sonat, quia olim syluis opaca fuerit, deducit Lambar= dus. Ego vero, (si coniecturam interponere liceat) cum ingenti angulo in ortum hic Britanniam excurrere viderim, obseruarimque eiusmodi angulum in Scotia Cantir dici, incolas item alterius anguli, in ea parte insulæ Cantas Ptolemæo vocari, Canganos etiam in Wallia alterum angulum tenuisse, (vt taccam Cantabros, qui angulum etiam inter Celtiberos insederunt) qui vt vnus originis, vnus ita linguæ, cum nostris Britannis fuere; coniectarim a situ nomen inditum, eoque magis, tum quod Galli nostri, * Canton pro angulo vsurparint, & a veteri (vt probabile est) Gallorum lingua: non enim e Germanica, vel Latina est, quæ cum illa vetusta, huius recentioris Gallici idiomatis sunt matrices: tum quod Angulus hic ager a veteribus omnibus Geographis dicatur. Grandi

* Vnde Canton in arte Heraldica pro angulo, & Heluetiorum pagi Cantones, quasi anguli a Gallis dicti.

237

etenim angulo Galliam prospectat, Tamisis æstuario, & Oceano omni ex parte circumfusus, nisi qua ad occidentem Solem, Surreiam conterminam habet, & Southsexiæ partem ad Meridiem.

<240>

Kent.

Regio est inæqualis, ad occasum planior, & syluis vmbrosa, ad ortum surgentibus colibus excelsior. Incolæ, qua a Tamisi ad Austrum patet, in tres areas, siue portiones (Gradus vocant) distinguunt, quarum superiorem ad Tamisim salubrem, sed minus opulentam esse ferunt, mediam, & sa=

lubrem, & opulentam: inferiorem vero opulentam, sed insalubrem, vtpote quæ magna ex parte est vliginosa. Pratis tamen, pascuis, aruisque vbi= que fere læta, pomis ad miraculum abundans, nec non cerasis, quæ anno a Roma condita 680. in Italiam e Ponto deuecta, & vicessimo supra centessimum post anno in Britanniam transla= ta, fœlicissime hic proueniunt, multumque agri occupant, arbo= ribus in quincuncem, iucundissimo spectaculo directis. Villas, & oppida habet frequentissima, stationes satis tutas, ferri venas nonnullas, sed aerem crassiusculum, ob halitus ex aquis euapo= rantes. Incolis ea humanitatis laus, quam Cæsar olim tribuit, etiamnum iure debetur; vt virtutem bellicam taceam, quam tantam in Cantianis fuisse Monachus quidam scripserit, vt in procinctu, exercitus frons illis tanquam triariis, merito inter Anglos debeat. Quod etiam comprobatur in suo Polycratice Ioannes Sarisburiensis. 'Ob egregiæ,' inquit, 'uirtutis meritum, quam potenter, & patienter contra Danos exercuit Cantia nostra, primæ cohore= tis honorem, & primos congressus hostium vsque in hodiernum diem in omnibus præliis obtinet.' Quorum etiam in laudem scripsit Malmes= buriensis. 'Gens rustica, & vrbana Cantii, plusquam cæteri Angli, an= tiquæ nobilitatis conscientiam adhuc spirat, & ad honorificentiam, & ho= spitium cuiuslibet prouincior, & ad pulsandas iniurias serior.'

Plin. lib. 15. cap. 25. Cerasa in Bri= tan. translata.

Militaris Cantia= norum virtus.

Iulius Cæsar.

<241>

Cæsar, de quo postea plura dicemus, cum primum insulam nostram aggredere, in hac regione terram conscendit, nauibus egredi a Britannis Cantianis prohibitus, littore non sine graui pugna potitus est. Cum secundo etiam nos adiret, hic exercitum exposuit, Britannique cum equitatu & essedis ad

238

Sturum flumen animose exceperunt, sed a Romanis cito repulsi se in syluas subduxerunt. Inde cum equitatu Romano acriter prælio in itinere conflixerunt, ita tamen vt Romani omnibus partibus superiores fuerint, at intermisso spatio rursus in Rom. impetum fecerunt, per medios audacissime perruperunt, interfectoque Laberio Duro, militum Tribuno, incolumes se receperunt, posteroque die ad pabulatores aduolarunt, &c. quæ apud ipsum Cæsarem legas. Quo tempore Cantio præfuerunt Cyngetorix, Caruilius, Taximagulus, & Segonax, quos ille, vt reges deicisse videatur, Reges vocat, cum tantum reguli fuerint, vel melioris notæ nobiles. Constabilito Romanorum Imperio, sub Præsede Britannicæ Primæ censebatur. Ora vero maritima, quam Littus Saxonicum dixerunt, vti etiam littus oppositum a Rheno ad Xanctones, præfectum habuit a Diocletiani tempore, quem Marcellinus 'Tractus maritimi Comitum,' Notitia= rum liber 'Spectabilem virum littoris Saxonici Comitum per Britanniam' vocat, Cuius munus erat littus per opportuna loca præsidia ad barbarorum atrocitatem reprimenda communire. Sub dispositione autem erat illustris Magistri peditum quem Præsentalem dixerunt, qui præter præsidia ad portus, in omnia momenta Vi= ctoriae Britannicæ, Primanos Iuniores, & Secundos Iuniores (hæc sunt cohortium nomina) illi assignauit. Officium autem habuit hoc modo. 'Principem ex officio magistri præsentium a parte peditum, Numerarios duos, Commentariensem, Cornicularium, Adiutorem, Subadiuuam, Regerendarium, Exceptores singulares, &c.' Nec dubito, quin maiores nostri hoc Romanorum institutum imitati fuerint, cum præfectum siue Limenarcham huic oræ præfecerint, quem Quinque portuum Guardianum vulgo vocitant, quia, vt Comes littoris Saxonici nouem, ita quinque portibus præsit.

Guardianus V. Portuum.

<242>

Cantium Saxonibus traditum.

Cum autem Romani e Britannia cessissent, Vortigernus qui maximæ Britannicæ parti cum imperio præfuit, Cantio Guoron= quo præfecit, id est, Proregem, siue Libertum, quo nesciente, hanc regionem (vt habent Nennius, & Malmesburiensis) statim Hengisto Saxoni, in gratiam Rowennæ eius filiæ, quam misere

deperibat, gratis concessit. Hinc primum Saxonum in Britannia regnum anno Christi 456. constitutum, illis Cantwara-ryc dictum, quod post annos 320. Balredo ultimo rege deuicto, in occiduorum Saxonum potestatem deuenit, quibus ad Northmannorum usque imperium paruit. Tunc enim Cantiani ad Suanescombe (viculus est, vbi Suenum Danum olim castrum

239

Gauelkind.

tatum ferunt) ramos prætendentes ea lege Guilielmo Normanno se dediderunt, vt patrias consuetudines illæsas retinerent, illamque inprimis, quam Gauelkind nominant. Hac terræ, quæ eo nomine censentur, liberis masculis ex æquis partibus diuiduntur, vel fœminis, si masculi non fuerint. Hac hæreditatem cum xv. annum attigerint, adeunt, & sine domini consensu, cuiuslibet vel dando, vel vendendo alienare licet. Hac filii parentibus furti damnatis in id genus fundis succedunt, &c. vt vere, quamuis minus pure in antiquo libro sit scriptum. 'Dicit Cantii Comitatus quod in Comitatu isto de iure debet de eiusmodi grauamine esse liber, quia dicit quod Comitatus iste, vt residuum Angliæ, nunquam fuit conquestus, sed per pacem factam se reddidit Conquestoris dominatui, saluis sibi omnibus libertatibus suis, & liberis consuetudinibus primitiuis & vsitatis.' Deinceps Guilielmus victor, vt Cantium, quæ tantumquam Angliæ clavis habetur, sibi firmiter retineret, Connestabilem Castro Douerensi, eundemque Limenarcham v. portubus ex veteri Romanorum instituto præfecit. Hi sunt Hastings, Dover, Hith, Rumney, & Sandwich, quibus Winchelsey, & Rie, vt præcipua, & alia oppidula vt membra adiunguntur. Quæ quia bello maritimo operam nauare tenentur, immunitatibus gaudent multis & magnis; ipseque Limenarcha, qui semper aliquis est e proceribus nostris fidei spectatissimæ, in sua iurisdictione Admiralli auctoritatem in plurimis, aliaque iura habet, quæ nunc magna cum laude exercet Limenarcha noster nobilissimus, & prudentissimus D. Guilielmus Baro de Cobham regiæ maiestati a sanctoribus consiliis, & magnus literarum patronus. Sed iam ad loca.

Lord warden of the fiue Ports.

<243>

Septentrionalem huius regionis partem, Tamisis Britannicorum fluminum præcipuus, vt iam dixi, alluit, qui Surreiam prætergressus statim sinuoso flexu, fere in se reductus, primum Depford vidit nauale notissimum, vbi regiæ naues construuntur & quassæ reparantur, & armamentarium insigne & quasi collegium in vsum classis constitutum. Locus olim West-Greenwich vocabatur, & Gisleberto de Mamignot Normanno in Angliæ expeditione obtigit, cuius e filio nepos Walkelinus castrum Douerense contra Stephanum Regem propugnauit, & filiam superstitem vnicam reliquit, quæ suis nuptiis opulentam hæreditatem dictam Honorem de Mamignot Saiorum familiæ intulit.

Depford.
* The master & wardens of the holy Trinity. Barones Mamignot.

Greenwich

Hinc Tamisis Grenouicum adit, vulgo Greenewich, id est, Sinus viridis, (fluminis enim sinus Wic Germanice dicitur) Danicæ

240

classis statione, & Danica in Ealphegum Archiepiscopum Cantuariensem (quem anno Christi 1011. exquisitis tormentis tradiderunt) immanitate olim notissimus, Cuius mortem cum causa sic descripsit, qui sub id tempus vixit Ditmarus Merseburgus Libro Chron. octauo. 'Percepi a relatu Seuualdi factum miserabile, ac idcirco memorabile, quod perfida Northmannorum manus, Duce adhuc Thurkilo, Cantuariæ ciuitatis egregium antistitem, Ealphegum nomine, cum cæteris caperet, & vinculis & inedia ac ineffabili pœna, more suo nefando, constringeret. Hic humana motus fragilitate, pecuniam eis promittit, & ad hanc impetrandam inducias posuit, vt si in his acceptabili redemptione mortem momentaneam euadere nequisset, semetipsum gemitibus crebris interim purgaret, hostiam domino viuam ad immolandum. Transactis tunc omnibus designatis temporibus, vorax

Normanni iidem qui Dani.

piratarum Charibdis, domini famulum euocat, & sibi promissum celeriter persolui tributum, minaciter postulat. Et ille, vt mitis agnus præstosum, paratus ad omnia, quæ in me nunc præsumitis facere, Christi amore, vt suorum merear fieri exemplum seruorum. Non sum hodie turbatus. Quod vobis mendax videar, non mea voluntas, sed dira effectit egestas. Corpus hoc meum, quod in hoc exilio supra modum dilexi, vobis culpabile offero, & quod de eo faciatis, in vestra esse potestate cognosco: animam autem peccatricem creatori omnium, vos non respicientem, supplex committo. Talia loquentem prophanorum agmen vallauit, & diuersa hunc ad interficiendum arma congerit. Quod cum eorum dux Thurkil a longe vidisset, celeriter occurrens, ne quæso sic faciatis, inquit, aurum & argentum & omne quod hic habeo, vel villo modo acquirere possum, excepta nauis sola, ne in Christum domini peccetis, libente animo vobis omnibus trado. Tam dulci affatu infrænata sociorum ira, ferro & saxis durior, non mollitur, sed effuso innocenti sanguine placatur, quem communiter capitibus bouum & imbribus lapidum atque lignorum infusione protinus effundunt.' Nunc vero Regiis ædibus celeberrimus est locus, quas Humfredus Dux Glocestrensis ædificauit, Placentiamque dixit, & Henricus vii. magnifice adauxit. Sed longe maximum huic decus est Diua nostra Elizabetha, quæ hic fœlicissimis auspiciis in lucem ædita, vniuersæ Britannicæ, imo vniuerso terrarum orbi tantam lucem regicæ virtutis splendore affundit, vt iam omni laude maior iam adoranda, non adornanda videatur. Sed de Grenouico hæc etiam Poetæ Antiquarii carmina percurrere,

Ecce vt iam niteat locus petitus
 Tanquam sydereæ domus cathedræ
 Quæ fastigia picta? quæ fenestræ?

241

Quæ tures vel ad astra se efferentes?
 Quæ porro viridaria, ac perennes
 Fontes? Flora sinum occupat venusta
 Fundens delicias nitentis horti.
 Rerum commodus æstimator ille,
 Ripæ qui variis modis amœnæ,
 Nomen contulit eleganter aptum.

- Eltham. Huic a tergo Eltham secessus item regius adiacet, vix trium milliarium hinc diuerticulo, quam Antonius Beccus Dunelmensis Episcopus, & Hierosolymitanus Patriarcha extruxit, Æleonoræque Reginæ Edwardi primi vxori donauit, cum Vesciorum hæreditatem interuertisset, ad quos locus iste prius spectauit. Episcopus enim ille, quem vltimus Baro de Vesci fiduciarium hæredem sibi scripsit, vt hæreditatem Guilielmo de Vescy filiolo Spurio traderet, vix bona fide cum pupillo egisse traditur.
- The breach. Infra Grenwicum, Tamisis diuulsis aggeribus, quam plurima terræ iugera oppressit, quocum annos complusculos, nonnulli immensis sumptibus luctati, vix molibus agendis, adiacentes agros, contra irruentes vndas tueri possunt. Prouenit hic copiose Cochlearia, nostris Scuruygrasse, quam medicorum nonnulli Plinii Britannicam esse volunt, quo nomine ego illius iam meminimus, sed audi Plinium, 'In Germania trans Rhenum castris a Germanico Cæsare promotis, maritimo tractu fons erat aquæ, dulcis solus, qua pota, intra biennium dentes deciderent, compagesque in genibus soluerentur. Stomacacem medici vocabant, & Sceletyrben ea mala. Reperta auxilio est herba quæ vocatur Britannica, non neruis modo, & oris malis salutaris, sed contra anginas quoque & serpentes, &c. Frisii qua castra erant, nostris demonstrauere illam. Mirorque nominis causam, nisi forte confines Oceano Britannicæ velut propinquæ dicauerunt.' Aliam tamen & quidem probabiliorem nominis rationem adfert in suo Nomenclatore eruditissimus Hadr. Iunius, quem si placeat adeas, Britannicæ enim vocabulum me a cursu hic
- <244>
- Scuruigrasse.
- Britannica herba.
- Vide in Insulis nostris Britan. de Armamentario Britannico.

deflexit.

Otford. Tamisis deinde ripis suis coarctatus Darentum flumen obuium habet, qui e Suthreia demissus leni alueo vndas ducit per Otanford, nunc Otford Danicæ stragis anno 1016. consciam, Regiisque ædibus superbam, quas Warhamus Archiepiscopus Cantuariensis tanta magnificentia sibi, & suis successoribus construxit, vt ad amoliendam possessionis inuidiam, cum Henrico

242

Dartford. octauo commutare necesse habuerit Cranmerus successor proximus. Lullingston vbi castrum olim fuit sedes familiæ nobilis eiusdem nominis inferius Darento apponitur, qui ad ostium Darentford, vulgo Dartford, amplum & frequens forum suo nomini adsciscit, sub quo Crecca riulus vna commiscetur; ad cuius vadum Creccanford, nunc Creyford, Hengistus Saxo octauo a Saxonum ingressu anno, signa cum Britannis contulit, cæsisque ducibus, tanta strage protriuit, vt ab illis nihil sibi deinceps metuerit, & regnum in Cantio securus constituerit.

<245> A Darento ad Medweagi ostium nihil suspicit Tamisis præter oppidula, quæ tacitus præterire, nullum famæ rerumue dispendium. Inter ea primas tamen ferunt Grauesend notum, si quod aliud Angliæ oppidum, vtpote statio inter Cantium & Londinum, vbi vtramque ripam propugnaculis communiuit Henricus octauus. Huic a tergo paulo interius adiacet Cobham sedes iam diu Baronum de Cobham, e quibus vltimus Ioannes Cobham Collegium hic, & castrum ad Couling fundauit, filiamque reliquit vnicam vxorem Ioannis de La-Pole Militis, quæ vnicam etiam genuit filiam Ioannam pluribus enuptam; peperit autem illa solummodo Reginaldo Braybroke. Maritus vero tertius Ioannes de Oldcastle dum rebus in religione innouandis studeret, suspendio & igne periit. Reginaldi vero Braybroci vnica filia Ioanna contraxit nuptias cum Thoma Brooke de Comitatu Somersettensi, a quo nunc floret quintus Guilielmus Baro Cobham, de quo supra dixi. A Grauesenda ad ortum est & Cliffe, a cliuo ædito cui insidet, nominatum, Synodo olim celebre, & Cliues at Ho Bedæ dictum, Ho enim vocatur illa quasi Chersounessus, quæ Tamisim, & Medweagum fluuium intersita, hic longe se in Ortum immittit.

Medwey. Medwege fluuius, nunc Medway (Britannice nisi me veritas fugit, Vaga, cui Med Saxones addiderunt) fontes habet in Anderida sylua, quæ Wealde, id est, regio nemorosa Saxonibus dicta, & meridianam huius agri partem late occupat. Primum dum tenuis est Pensherst præterfluit antiquæ familiæ Sidnæorum sedem, cuius modo sydus erat, magna illa spes hominum, expressissimum virtutis exemplum, & literati orbis amor, Philippus noster Sydneus, Eques longe clarissimus, ex illustri Warwicensi familia oriundus, qui acriter (ad Zutphenum Geldriæ cum hoste congressus fortiter occubuit.) Hic ille Sydneus est quem Deus ideo natum voluit, vt priscorum heroum specimen no-

243

stro seculo ostenderet; ita ex improviso ad se reuocauit, & nobis subduxit, ne deploratissimi nostri æui labes diutius videret. Verius enim de illo, quam vel de Marcello, vel Ælio Vero Maronianum illud vsurpari poterat,

Ostendent terris hunc tantum fata, nec vltra
Esse sinent.

Ignis vtique quo clarius effulsit, citius extinguitur, eripit se auferetque ex oculis subito perfecta virtus, quicquid est absoluti facilius transfluit, & optimi neutiquam diurnant. Placide si fas sit loqui, Sydneæ quiescas, nos te non lachrymis, sed admiratioue decorabimus. Quicquid in te (vt de optimo illo Britan-

niæ Præsides optimus scriptor loquitur) amauimus, quicquid mirati sumus: manet, mansurumque est in animis hominum, in æternitatem temporum, fama rerum. Multos velut inglorios & ignobiles obliuio obruit, Sydnæus posteritati narratus superstes erit. <Aretai> enim, vt canit ille Græcus, <kreissones eisi morou.>

Tunbridg.
<246>

Hinc Medway fl. Tunbridg respergit, vbi vetus est castellum quod Richardus Comes de Clare construxit, qui commutatis iure pro Brionio in Normannia accepit: eius enim auus Godfredus naturalis Guilielmi Ducis Normanniæ secundi filius, Aucensis, & Brionii Comes erat. Cum etenim diu de Brionio disceptatum fuisset, 'Richardus,' vt scribit Guilielmus Gemeticensis, 'pro repetitione eiusdem castrum in Anglia accepit oppidum Tunbrige. Asserunt enim Leucam Brionii cum funiculo circumcirca fuisse mensuratum & eodem fune in Angliam delato ad Tunbrige tantum spatium in metiendo recepisse.' Veruntamen Manerium, vt vocant, de Tunbrige eius successores Glocestriæ Comites clientari iure ab Archiepiscopis Cantuariensibus ea lege tenuerunt, vt Archiepiscopis in inthronisatione Senescalli, & eorum liberi ipsis in tutela essent. Inde Maidston petit, quam cum Saxones Medweageston dixerint, Vagniacas esse illas credo, quas Antoninus memorat, & Nennius in suo urbium catalogo, Caer Megwad corrupte, pro Medweg vocarit: nec sane distantiae ratio repugnat: hinc a Nouiomago, inde a Durobroui, de qua mox agemus. **Sub posterioribus Imperatoribus, vt in tabula Peutegeriana nuper a M. Velsero ædita videre est, Madus dicitur. Sic sensim volentibus annis sensim immutantur nomina.** Oppidum hoc est frequens & cultum, magis naque longitudine extentum. In medio Archiepiscopi Cantuariensis palatium, ab Vffordo inchoatum, & ab Islepo absolu-

Maidstone.
Vagniacæ.

Madus.

244

tum habent; alterum item publicum totius huius agri Ergastulum hic constituitur, immunitatesque plurimas Reginæ Elizabethæ fert acceptas, quæ Maiorem summum magistratum instituit, pro Portgreuio, quem prius habuit, quod innuo, quia antiquum hoc sit Saxonicum vocabulum, & apud Germanos etiamnum rectorem denotet, vt Markgraue, Reingraue, Landtgraue, &c.

Portgreuius.

Dorolenum.
Leneham.

Hic sub Vagniacis, ab oriente sole fluuiolus Medwegæ conuocatur, qui ad Leneham surgit, quæ Antonini sine conuocata Duroleum est, perperam in nonnullis exemplaribus Duroleum. Duroleum enim Lenum aquam Britannis sonat, & præter nominis reliquias, distantia etiam a Cantuaria, & Roffa, hoc esse Duroleum comprobatur; vt taceam situm ad viam Consularem Romanorum, quæ olim a Dubri (vt author est Higdenus Cestrensis) per medium Cantium duxit. Nec aliud oppositum habet hic fluuius, quod memorem præter Leedes castrum, quod fuit Creuequerorum nobilium opus.

<247>

Leedes castle.
Creuequerorum
familia.

Hi de Crepito corde in antiquis chartis nominantur, quorum primus Robertus cui successit Daniel, Danieli Robertus, Roberto Hamo qui filiam & hæredem Baronis de Folkestan duxit, e qua Hamonem suscepit, cuius vnicus filius Robertus patrimonium suum Regi Edwardo primo elargiebatur, cum prole careret. Postea Baronis de Bartholomæi de Badilsmer inauspicata erat sedes, qui illud perfide contra Edwardum secundum, a quo dono acceperat, communiuit, sed postea meritis perfidiæ poenas capite soluit. Rem totam si placet legas ex historiola Thomæ De-la-More viri nobilis qui eadem tempestate vixit, & vulgo non habetur. 'Anno 1321. venit Isabella regina ad castrum de Leedes circa festum Michaelis, atque ibi pernoctare voluit, at vero non est permissa ingredi. Hac re Regis animo offenso, vt in suum conuentum acta, conuocatis vicinis ex Essexia & Londino nonnullis Castrum iussit obsideri: Castrum tenuit B. de Badelsmer, in qua relicta

vxore & filiis ipse cum reliquis Baronibus ad res Hugonum euertendas profectus fuerat. Interim inclusis de salute desperantibus, Barones cum suis Kingston vsque peruenerunt rogantes per intermissos Episcopos Cantuariensem & Londinensem, & Comitem Pembrochiæ, vt obsidionem Rex solueret, polliciti se post proximum Parlamentum Castrum Regi in manus tradituros. Rex vero perpendens non posse diu obsessos resistere, exasperatus eorum contumacia, Baronum petitiones audire noluit: quibus in alias partes conuersis, postea non modico labore Castro potitur,

245

reliquis in eo repertis suspensis, vxorem cum filiis ad turrem Londinensem misit.'

Ailesford. Hinc Medweagus per vberima arua & Allington castrum vbi splendida ædes construxit T. Wiattus, decidens Ailesford peruenit, Saxonice Eaglesford, Henrico Huntingdonensi Elstre, Nennio Epifford, qui prodidit Britannice Sathenaeghaibail etiam dictum a Saxonibus ibi deuictis, vt Anglesford alii eodem sensu vocarunt. Guortimerus enim Britannus, Guortigerni filius Hengistum cum suis Saxonibus hic aggressus est, quos incompositos, cum secundum impetum sustinere non possent, ita fugauit omnes, vt de Saxonibus actum fuisset; nisi Hengistus declinandi periculi gnarus, in Tanetum insulam se recepisset, donec inuictus ille Britannorum impetus deferueret, & integra subsidia e Germania aduenirent. Ceciderunt hoc prælio duces partium, Catigernus Britannus, & Horsa Saxo, quorum hic ad Horsted non procul hinc sepultus loco nomen reliquit, ille magnifico elatus funere contumulatus creditur prope Ailesford, vbi vasta illa saxa erecta sunt, quæ imperitum vulgus a Catigerno Keith coty house hodie vocat. Haud procul ab altera e regione ripa Birling sedet Baronia olim Maminotorum deinde Saiorum, quorum tandem hæreditas per fœminas deuenit ad Clintonos, Fienes, & Attonos.

<248>

Horsted. Catigerni sepulchrum.

Durobreuis. Tabula antiqua a Velsero ædita. Roibis. Rochester.

Orientali Medweagi ripæ paulo superius vetusta ciuitas apponitur, Antonino Durobrus, Durobriæ, & alibi rectius, Duroprouæ, vel Durobrouæ. Bedæ Durobreuis, & inclinate Romano imperio, ita temporis progressus hoc nomen contraxit, vt Roibis nominaretur, vnde Saxonibus addito Ceaster Hroue-ceaster diceretur, nobisque contractius nunc Rochester, & Latine Roffa, a Rhoffo quodam, vt iudicat Beda, sed pristini illius nominis Durobrouis aliquid in se retinere mihi videtur. Nec est cur quis dubitet de nomine, cum præter Itinerariam rationem, & Bedæ autoritatem, Durobreuis in charta fundationis ecclesiæ Cathedralis expresse vocetur. Hoc tamen admoneo in impressis Bedæ libris Daruernum legi, vbi in M. S. Durobreuis concipitur. In conualle sedet muris male firmis ex parte cincta, 'situ,' vt inquit Malmesburiensis 'nimium angusta,' vnde olim Castellum potius quam vrbs habebatur. 'Castellum' enim 'Cantuariorum' vocat Beda. Sed nunc ad occasum, orientem, & meridiam magnis suburbiis tumet. Casibus defuncta est non paucis. Anno Christi 676. ab Athelredo Mercio prostrata, & deinde a

246

Danis sæpius direpta. Templum magnificum erexit Ethelbertus Rex Cantii, quod & dignitate Episcopali illustrauit. Iusto primo episcopo designato: verum cum hoc vetustati cederet, Gundulphus circa annum 1080. restaurauit, & presbyteris expulsis, monachos induxit, quibus iam eiectis, Decanus, vi. prebendarii, & Scholastici sunt subrogati. Iuxta templum, flumini impendit castrum opere, & situ satis munitum, quod Odonem Episcopum Baiocensem, & Cantii Comitem extruxisse fama refert. Verum Guilielmus primus procul dubio construxit, legitur enim in libro Domesday. 'Episcopus de Roueicester tenet in Eleforde pro escambio terræ in quo castellum sedet.' Certum enim est epis-

<249>

copum, cum ex ancipiti rerum mutatione penderet, hoc contra Guilielmum Rufum tenuisse, & tandem rerum necessariorum inopia coactum, non tantum castrum tradidisse, sed etiam de gradu deiectum solum vertisse. Recepto sic castello, Henricus primus qui Rufo successit, 'Ecclesie Cantuariensi & Archiepiscopis eius custodiam, & constabulationem in posterum possidendam concessit,' vt habet Florentius Wigorniensis, '& in eodem turrem sibi constructi licentiam.' Ex quo tempore vna, & altera obsidione fatigatum fuit, sed tum maxime, cum Barones armorum strepitu totam Angliam concuterent, & Simon de Monteforti acerrime, sed frustra oppugnaret, pontemque sublicium rescinderet. Pro quo saxeum arcuato opere spectatissimum e Gallorum manibus substruxit postea Rob. Knowles, qui ab infimo gradu, ad summum honoris fastigium bellica virtute conscendit. Sub hoc ponte Medweagus violentus, & torrens æstuat, & eluctatur, statimque sedatior nauale se exhibet classi omnium quas Sol vidit bellico apparatu instructissimæ, & in omnia momenta paratissimæ, quam Diua Elizabetha ad suorum tutelam, & hostium terrorem maximis impensis ædificauit, ad eamque defendendam propugnaculum in ripa apposuit.

Vpnore.

Familia de Badilsmer.

Nunc Medweagus lætior, & latior crispantibus vndis spectatu amœnissimus fœcundos agros subluit, donec Sheppey insulæ obiectu diuisus (quam Ptolemæi Toliatin esse suspicamus, vt suo loco dicemus) duobus in Tamisis æstuarium ostiis infertur, quorum occidentale Westswale: orientale, quod Sheppeiam a continenti abscidisse videtur, Eastswale dicitur, Bedæ Genlade, ad quod Midleton, nunc Milton villa olim regia, Sittingburne diuersoriis refertum, & Tonge castrum reliquæ in vicinia cernuntur, quæ sedes fuit antiqua Guncellini de Badilsmer, viri magnæ no-

247

bilitatis, cuius filius Bartholomæus Guncellinum genuit, qui ex hærede Radulphi Fitzbernard Domini de Kingsdown Bartholomæum procreauit illum seditiosum de quo dixi, qui ex Margareta Clara suscepit †Maltildem Ioannis Veri Comitis Oxoniæ coniugem, Margaretam Ioannis Tiptoft, Margeriam Guilielmi Roos, & Elizabetham Guilielmi Bohuni Comitis Northantoniæ. Feuersham inde visitur Stephani regis monasterio, & tumulo olim notum. Iuxta quæ puteos magnæ profunditatis, hinc inde, vt etiam alibi per hunc agrum vidimus, de quibus variæ feruntur opiniones. Ego autem nihil quod opiner, habeo, nisi putei illi fuerint, e quibus cretam albam ad stercondos agros effoderunt olim Britanni, vt docet Plinius. 'In centenos enim,' vt inquit ille, 'pedes puteos egerunt ore angustatos, sed intus spatiantes,' cuiusmodi hi ipsi sunt, quos dicimus. Inde aperto litore, quod cochleis & ostreis fœcundum ostreorumque viuariis frequens, Reculuer cernitur, Saxonice reaculf, sed Romanis olim & Britannis Regulbium, sic enim Notitiarum libro vocatur, qui Tribunum cohortis primæ Vetasiorum in excubiis hic sub littoris Saxonici Comite (sic enim tunc temporis Martima Cantii ora vocabatur) egisse memorat: & hanc sane suam antiquitatem effossis Imp. Rom. nummis adhuc testatur. Ethelbertus Rex Cantii cum Cantuariam Monacho Augustino concessisset, in hac sibi palatium extruxit, Bassa Saxo monasterio ornauit, e quo Brightwaldus octauus Cantuariensis ecclesie Archiepiscopus euocatus erat. Hinc Raculfminster etiam a monasterio dictum fuit, cum Edredus Edmundi senioris frater ecclesie Christi Cantuar. donaret. Hodie vero nihil aliud est, quam viculus rusticus, & si quid nominis habet, ex monasterio illo habet, cuius sacræ turres Pyramidales vsui sunt nauigantibus, ad tæniæ quædam, & breuia in Tamisis ostio euitanda. Vt enim canit ille in Philippeide

Putei in Cantio cur facti.

<250>

Rerculuer. Regulbium.

Cernit oloriferum Tamisim sua Doridi amaræ
Flumina miscentem.

Stoure fl. Nunc ad Tanet insulam deuenimus, quam tenui intercur=
rente alueo, a continente disternat Stoure flu. Bedæ Want=
sum, qui duobus in syluestri regione, quam The Weald vocant,
disparatis fluuiolis coalescens, quam primum solidus fertur,
Chilham. Ashford & Wy, emporiola nota inuisit, inde Chilham, siue vt
alii vocant Iulham, vbi castris antiqui rudetum est, quod Fulber=
tus quidam Douorensis construxisse memoratur, cuius e filio

248

Fulberti de Douer
stirps.

Richardo neptis Roisia vt legitur, enupta Richardo filio natu=
rali regis Ioannis, Loram vnicam filiulam reliquit vxorem Gui=
lielmi Marmioni. Constans fama apud incolas est Iulium Cæ=
sarem in secunda contra Britannos expeditione, hic castrame=
tatum fuisse, & inde Iulham, id est, Iulii statio, vel domus dictum:
& ab illis, nisi me fallo, facit ipsa veritas. Prodit enim Cæsar ipse,
cum noctu a littore XII. millia pass. confecisset, ad flumen pri=
mum cum Britannis conflixisse, ibique cum eos in syluas conie=
cisset, castra muniuisse: vbi crebris arboribus succisis locum
egregie natura, & opera munitum habuerunt Britanni. Hic
<251> enim locus XII. a littore mill. exacte abest, nec aliud est inter=
positum flumen, vt necesse fuerit, ad hunc castris primis perue=
nisse: in quibus decem etiam dies suos continuit, dum classem
tempestate afflictam reficeret, & subduceret. Sub hoc oppido,
tumulus viridanti cespite vestitus ostenditur, quo conditum
multis retro ante seculis Iul-laber ferunt, quem alii Gigantem,
alii veneficam fuisse somniant. Ego vero, cum aliquid antiquæ
memoriæ eo nomine latere existimarim, propemodum mihi per=
suaserim Laberium Durum Tribunum militum hic situm, quem
interfecerunt Britanni in itinere, ab illis quæ dixi castris, & in=
de Iul-laber tumulum dictum fuisse.

Laberius Durus
Trib.

Duruernum.

Quinto hinc milliari Stoure diuiso alueo, Durouernum
primariam huius prouinciæ urbem rapide alluit, nomenque fe=
cit. Durwhern enim fluuium rapidum Britannis denotat. Ptole=
mæo pro Durouerno Daruernum, Bedæ & aliis Dorober=
nia, Saxonibus Cantwarabyrig, id est vrbs populi Cantiani,
Nennio, & Britannis Caer Kent, id est vrbs Cantii, nobis Can=
terbury, Latinis Cantuaria dicitur. Vrbs peruetusta, Romano=
que sæculo procul-dubio illustris, 'Nec adeo magna' (vt inquit
Malmesburiensis) 'nec exiliter parua, quæ & terræ positione, soli affinis
maxima vbertate, & integro murorum ambitu, fluuii irrigua, nemorum
opportunitate inclita, præterea maris vicinitate piscium fœcunda.' Hep=
tarchia Saxonica efflorescente, regni Cantii caput, & sedes regia
fuit, donec Ethelbertus Rex eam, cum iure Regali Augustino
Anglorum Apostolo concesserit, qui Archiepiscopali sede hic
stabilita, Angliæ Metropolim constituit. Iam inde incredibile
est, quantum floruit, cum Archiepiscopali dignitate, tum meli=
orum literarum schola, quam Theodorus septimus Archipræ=
sul instituit: & quamuis Danico bello conquassata, & fortuitis
incendiis magna ex parte subinde absumpta, semper tamen re=
-

Canterbury.

249

<252>

nata est splendidior. A Normannorum ingressu, cum Guiliel=
mus Rufus, vt est in Annalibus S. August. 'dedisset ciuitatem Can=
tuariæ Episcopis ex solido, quam tenuissent antea ex beneficio,' religionis
nomine, & præsulum benignitate, inprimis Simonis Sudbury,
qui mœnia restaurauit, non modo respirauit sed eo splendoris,
quasi subito accreuit, vt priuatorum ædificiorum pulchritudi=
ne, omnes Britannicæ ciuitates adæquarit, sacrarum vero ædium
magnifica structura, & frequentia, celeberrimas quasque supe=
rarit. Inter has duæ maxime enituerunt, Christi scilicet, & Diui

Augustini vtrumque Benedictinis monachis oppletum: Christi autem templum in medio quasi vrbis sinu, tanta maiestate, vt Erasmus inquit, se in cœlum erigit, vt procul etiam intuentibus religionem incutiat. Augustinus ille, quem dixi, hoc Romanorum fidelium opere, vt author est Beda, antiquitus factum recuperavit, Christo sacrauit, sedem successoribus constituit, in qua septuaginta duo iam perpetua serie sederunt Archiepiscopi. E quibus Lanfrancus & Guilielmus Corboyl superiorem Ecclesiæ partem, & qui successerunt, inferiorem, quum illud vetustius opus incendio concidisset, ad eam qua nunc cernitur amplitudinem maximis impensis, quas superioribus sæculis superstitio suggessit, perduxerunt. Plurimi enim summi, infimi, confertim huc cum amplissimis donariis, ad visendum Thomæ Beckett Archiepiscopi tumulum confluerunt. Qui a militibus hoc in templo trucidatus, quod se regi peruiuaci animo opposuisset, & a Pontifice Romano in Martyrum album relatus, diuino honore colebatur, tantisque muneribus onerabatur, vt thecæ, in qua conditæ fuerunt eius reliquiæ, vilissima pars aurum fuerit. Gemmis raris, vt inquit Erasmus, & prægrandibus collucebant, nitebant, fulgurabant omnia, templum etiam vniuersum plusquam regiis opibus vndique luxuriauit, Christique nomine quasi oblitterato, in S. Thomæ transiit. Nec vlla alia re æque celebratum fuit, ac huius memoria, ac sepultura, licet aliorum sepulchra non immerito iactet, inprimis Edwardi principis Walliæ cognomento Nigri, herois bellica laude ad miraculum præstantissimi, & Henrici IIII. Regis Angliæ potentissimi. Verum has nebulas Euangelii lumen sub Henrico VIII. discussit, monachorumque examina dispulit, pro quibus in Christi templo Decanus, Archidiaconus, Præbendarii XII. & verbi diuini sex præcones sunt collocati, qui diuinum verbum in circumuicinis locis disseminent. Alterum templum huius pertina-

250

cissimus æmulus sub vrbem ad Orientem sedem habuit, S. Augustini nomine notum, quod ipse Augustinus, & Ethelbertus Rex, eius hortatu, Petro & Paulo posuerunt, vt sepultura esset, tum Regum Cantii, tum etiam Archiepiscoporum, (nondum enim in vrbe sepelire fas erat) infinitisque opibus cumularunt, concessa Abbati officina monetaria, cum iure pecuniam signandi. Nunc vero maxima parte suis ruinis inuoluta, reliqua in ædes regias conuersa, quantum fuerit intuentibus facile ostendit.

Ipse vero Augustinus in eodem sepultus erat, cum hoc vt testatur Thomas Spot, epitaphio,

**Inclitus Anglorum præsul pius, & decus altum,
Hic Augustinus requiescit corpore sanctus.**

Nihil attinet de altera ecclesia, huic vicina, dicere, quæ, vt habet Beda, a Romanis condita fuit, Martinoque sacrata, in qua ante Augustini aduentum, Bertha Ethelberti vxor Christianis sacris interesse solebat. De castro ad Australe vrbis latus fatiscens nunc propugnaculis, cum non admodum magnam præ se ferat antiquitatem nihil occurrit, quod memoria dignum, nisi a Normannis constructum fuisse. De sedis Cantuariensis dignitate, quæ olim longe amplissima fuit, nihil dicam, nisi vt superioribus sæculis in Romana hierarchia, Archiepiscopi Cantuarienses Pontificis Romani Legati, & veluti alterius, vt dixit Vrbanus II. orbis Patriarchæ erant; sic cum fugata esset Pontificum auctoritas, in Synodo, an. 1534. decretum, vt illo titulo deposito, Primates, & Metropolitanus totius Angliæ dicerentur. Quam dignitatem nunc gerit Reuerendissimus in Christo pater, D. Ioannes Whitgiftus, qui & Deo vitam, & Ecclesiæ operam omnem sancte consecrauit. Cæterum Polus Borealis supra Cantuariæ horizontem grad. LI. scrup. XVI. attollitur, Longitudo vero

XXIIII. partib. LV. scrup. definitur.

Fordich. A Dorobernia Stoure statim se in vnum colligit, simplexque
<254> fertur per Fordich (qui paruus Burgus de Forewich Guilielmi
primi libro dicitur) laudatis trutis insignem, ad Sturemouth ve=
nit, vbi duo itinera dispensatis aquis sibi aperit, nomenque re=
linquens, Wantsume dicitur, Thanaton ab Occasu, & Austro
insulam faciens, ab aliis enim partibus Oceano abluitur. Hanc
Thanatos. Solinus Athanaton, & Thanaton aliis exemplaribus dixit,
Britanni Inis Ruhin (teste Asserio) fortasse a Phocis, Saxones
Tenet. Tanet, & Tanetland, nos Tenet. Terra tota est ex creta albicanti,
frumentariis campis foelix, & vberi gleba, octo mill. in longitu=

251

Lapis tituli. dine extenditur, quatuor in latitudine patet, familiarum sex=
centarum habebatur, pro quo in Beda mendose legitur millia=
rium sexcentorum. Quod vero Solinus nullo serpi angue hanc in=
sulam scribat, & terram hinc asportatam angues necare, iam
falsum deprehenditur. Proinde etymologia illa <apo tou thanatou>, i. a
serpentium morte deducta plane labascit. Hic primam exscen=
sionem fecerunt Saxones, hic illis perfugium, hic magnas eorum
strages ædidit Guortimerus Britannus, cum ad Lapidem tituli
(sic in Nennio vocatur locus, quem Stonar eo fere sensu nunc
vocamus, & portum fuisse constat,) præcipitata fuga in myopa=
rones coegerit. Quo etiam loco (inquit ille) iussit se sepeliri ad
compescendos, vt existimauit, Saxonum furores; quemadmo=
dum Scipio Africanus, qui ita sibi sepulchrum statui præcepit, vt
Africam prospectaret, ratus vel hoc etiam Pœnis terrori futu=
rum. Hic etiam ad Wippedfleete, a Wippedo Saxone interfecto
sic dictum, Britannos multis præliis attritos fudit Hengistus.
Augustinus multis post annis in hanc terram conscendit, cuius
benedictioni regionis fœcunditatem ascripserunt sacerdotes
creduli, Monachusque Gotcelinus exclamauit. 'Fœlix tellus Tanet,
sua fœcunditate, sed fœlicissima tot deiferorum aduenarum, imo tot ciui=
um supernorum hospitio.' Postea Danorum direptionibus ita afflic=
ta, qui Domneueæ monasterium, nunc Minster virginibus vela=
tis sacratum omni crudelitatis genere polluerunt, vt non ante
pacata Normannici imperii tempora refluuerit.

Diligentia sin=
gularis. Nec tacendum quod in singularem incolarum laudem cedit,
præcipue eorum qui iuxta stationes Margat, Ramsgate, & Brod=
stear habitant. Sunt enim viri summe industrii, qui quasi Amphi=
bii, & mari & terra victum quærunt, cum vtroque elemento ra=
tionem habent, & piscatores & aratores, & agricolæ & nautæ;
quique stiuam in agro sulcando, iidem clauum in nauigando
* Codde. tenent. Pro ratione anni retia nectunt * asellos, haleces, scom=
bros, &c. piscantur, nauigant, merces exportant: iidem agros
stercorant, arant, seminant, occant, fruges demetunt, & recon=
dunt, in vtrumque instructissimi, sic illis labor in orbem agitur.
Cumque subinde hic naufragia fiant, obiacent enim littori for=
* Shelues. midolosa illa nauigantibus vada, & * puluini, quæ The Goodwyn,
The Brakes, The four foote, The Whitdick, &c. vocitant; strenuam
in mercibus recuperandis operam nauare solent.

<255> Ad Australe Wantsumi ostium, quod alueum mutasse cre=
Rhutupiaë. dunt, e regione insulæ apposita fuit vrbs, quæ Ptolemæo Rhu=

252

Portus Trutu=
lensis. tupiaë, Tacito Portus Trutulensis, pro Rhutupensis, si B.
Rhenanus nos non fallit, Antonino Rhitupis Portus, Am=
Richborrow. miano Rhutupiaë Statio. Orosio Rhutubi portus & ciui=
tas, Anglis, teste Beda, Reptacester, aliis Ruptimuth, Alfredo Be=
uerlacensi Richberge, hodie Richborow. Vnde hoc enatum no=
men in confesso non est. Veruntamen cum a sabulo loca huic
vicina Sandwich, & Sandibay denominentur: & Rhyd Tufith
Britannice vadum sabulosum sonet, inde, si auderem, libenter

deducerem. In delectu collis vrbs exporrecta videbatur. Arx æditori loco Oceano imminabat, qui ita iam arenis inuectis excluditur, vt a milliari vix eam salutet. Longe celeberrima fuit, Romanis rerum potentibus. Hinc e Britannia, in continen- tem frequens traiectus, ad hanc Romanæ classes appulerunt, Lupicinus a Constantio in Britanniam ad coercendas Scoto- rum & Pictorum excursions missus, Herulos, Batauos, & Mœ- sicorum numeros hic exposuit. Theodosius etiam Theodosii Augusti pater (cui statuas, testante Symmacho, equestres ob Britanniam pacatam Senatorius ordo decreuit) cum suis Her- culiis, Iouii, Victoribus, Fidentibus (hæ Romanorum erant cohortes) huc delatus est. Postea cum Saxones piratæ subla- tis commerciis, maria bello intercluderent, & littora nostra cre- bris latrocinii infestarent, Legio Secunda Augusta, quæ a Clau- dio Imperatore e Germania traducta, plurimos annos Iscæ Si- lurum in Wallia consederat, huc translata, Præpositumque suum hic habuit sub Comite littoris Saxonici. Quam præposituram fortasse gessit Clemens ille Maximus, qui in Britannia a militi- bus Imperator salutatus Gratianum interfecit, & postea Aqui- leia a Theodosio occisus. Hunc enim Ausonius Rhotupinum latronem in his versiculis de Aquileia dixit.

Clemens Maxi-
mus.

Maximus armigeri quondam sub nomine lixæ.
Fœlix quæ tanti spectatrix læta triumphi,
Fudisti Ausonio Rhotupinum Marte latronem.

<256>

Alium etiam Rhotupiarum præsidem Flauium Sanctum ob-
liuione in Parentalibus suis vindicauit idem Poeta, de quo
cecinit.

Sunt qui Rhotu-
pini nomine Bri-
tanniam omnem
intelligi volunt.

Militiam nullo qui turbine sedulus egit,
Præside lætatus quo Rhotupinus ager.

Claudium Contentum patrum, qui ingentem pecuniam
fœnori inter Britannos occupatam, & vsuris multiplicatam ex-
traneis morte præreptus liquit, hic etiam situm, funebri car-

253

mine prosequitur Ausonius.

Et patruos Elegeia meos reminiscere cantus,
Contentum, tellus quem Rhotupina tegit.

Post Saxonum aduentum floruerunt etiam Rhotupia. Ethel-
berti enim Cantii regis Regiam fuisse memorant scriptores,
Bedaque ciuitatis nomine insigne, **lam** inde deficere cœpit,
nec nomen vsquam legitur, nisi apud Alfredum Beuerlacensem,
qui Alcherum cum Cantuaritis Danos spoliis implicatos, ad
hanc Richberge tunc dictam fudisse prodidit. Nunc vero ve-
stigia eius omnia tempus erasit, vtque nos doceat vrbium per-
inde ac hominum fata volui, hodie aruum est, in quo platearum
tractus cum seges succreuerit, se intersecantes videas. (Vbicun-
que enim plateæ duxerunt, rarescit seges) quas vulgo S. Augu-
stines crosse appellant. Et semiruta quædam arcis mœnia solum su-
persunt, quadrata forma sabulo tenacissimo materiata. <Akropolin>
esse diiudices, situ adeo sublimi vliginosam in Taneto planitiem
despicit, quam Oceanus se paulatim subtrahendo destituit. Vr-
bis autem area nunc aratro proscissa nummos Romanorum
aureos, & argenteos, vetustatis sua indicia sæpenumero egerit,
prolemque suam paulo inferius ostendit, quam a sabulo Sondwyc
dixerunt Saxones, nos vero Sandwich. Hoc e quinque por-
tuum, quos vocant, numero, ad Septentriones & occasum
mœnibus, alias aggere, flumine, & fossa munitum, olim Dano-
rum furores, superiori ætate Gallorum ignes sensit; nunc incolis
satis frequens licet portus ex aggestis arenis, & magna naue
oneraria Pauli IIII. PP. in ipso alueo depressa, non sit nauigiis

Sandwich.

<257>
 Cantium Prom. magnis ferendis iusta altitudine.
 Sub Rhutupiis Ptolemæus Cantium promontorium, quasi
 extremum huius anguli verticem statuit, quod corrupte non=
 The Foreland. nullis exemplaribus Nucantium, & Acantium, Diodoro
 Carion, nobis hodie The Foreland dicitur. Verum omnia hæc
 Rhutupina ostrea. circumquaque littora a Rhutupiis Rhutupina littora Poetis di=
 ventriconem satyricæ insectaretur, de ostreis ex hoc littore Ro=
 mam delatis.

 nulli maior fuit vsus edendi
 Tempestate mea, Circaeis nata forent, an
 Lucrinum ad saxum, Rhutupinove ædita fundo
 Ostrea, callebat primo deprendere morsu.

Et Lucanus.

254

Aut vaga cum Thetis, Rhutupinaque littora feruent.

Fretum Bri=
 tannicum. Hæc ora maritima ab Europæ continente, freto disiungitur,
 vbi maria terram perfodisse credunt nonnulli, Solinus fretum
 Gallicum appellat, Tacitus, & Ammianus fretum Oceani, & Ocea=
 num fretalem. Gratius Poeta 'Freta Morinum dubio refluentia ponto.'
 Belgæ Dehofden, a duobus promontoriis, vt annotauit doctissi=
 mus Abrah. Ortelius. Nos The strait of Calleis. Galli Pas de Callais.
 Hic enim locus est, vt inquit nostri temporis Poeta,

 gemini qua ianua ponti
 Faucibus angustis, lateque frementibus vndis
 Gallorum Anglorumque vetat concurrere terras.

Horrendis, vt vere inquit Marcellinus, hoc fretum attollitur
 æstibus, rursusque in speciem complanatur camporum; bis in=
 ter duos lunæ exortus affluens bisque remeans. Attollente e=
 nim se Luna, ad Meridianum, & sub Horizonte in opposito iam
 demersa, supra modum hic intumescit Oceanus, & immensa
 aquarum moles tanto cum murmure in littora irruit, vt non
 sine causa ille dixerit 'Rhutupinaque littora feruent.'

Morini.
 <258>
 Itius portus. Ex aduerso in continente consederunt Morini, sic anti=
 qua Celtarum lingua dicti, quasi maritimi, siue maris accolæ.
 Eorum regio nunc Conte de Guines, & Conte de Bolonois dicitur,
 duosque olim nominatissimos habuit locos, Gessoriacum,
 & Itium, vnde Cæsar commodissimum e Gallia in Britan=
 niam esse traiectum prodidit, plurimique fuisse credunt, quod
 nunc Callais vocant, sed magnus ille & eruditus Hospitalius
 Galliæ Cancellarius, rei antiquariæ peritissimus asserit Caletum
 minime vetustum esse, tantumque viculum fuisse, cuiusmodi
 Galli Burgado vocant, priusquam Philippus Comes Bononien=
 sis mœnibus incinxerit, non multis ante annis, quam Angli ex=
 pugnaverint. Nec vspiam legas aliquos inde in Britanniam
 soluisse ante illa tempora. Itium igitur alibi quærendum exi=
 stimo, ad Vitsan scilicet inferius prope Blanest, quod nos Whit=
 san vocamus, verbo ab Itio non abludente. Huc enim omnes
 ex hac insula transmisisse, & inde in eadem soluisse, ex historiis
 nostris obseruamus, vsque adeo vt Lodouicus Sanctus cum
 Thomam Cantuariensem religiosa peregrinatione inuiseret,
 hoc solum a Diuo illo nupero demississime contendit, vt inter
 Vitsan, & Douer nemo naufragio periret: quasi hinc inde eo
 tempore commodissimus fuerit traiectus, nec alibi sane hoc fre=
 tum magis coarctatur. Quamuis existimandum sit nauigantes

Breuisissimus inter
 Galliam, & Bri=
 tanniam traiec=
 tus.

255

in transmittendo non nauigationis compendium, sed portuum
 opportunitatem vtroque in littore spectasse. Sic quamuis fre=

Gessoriacum.	tum angustissimum sit inter Blacness Galliae, & The Nesse Angliæ: nunc tamen traiciunt inter Dubrin, & Caletum, superioribus seculis priusquam obstrueretur Portus Vitsan, inter illam, & Dubrin, antea vero inter Rhutupias, & Gessoriacum, vnde Claudius Imp. & alii quos dixi duces in Britanniam transmiserunt. Gessoriacum hoc Plinius Portum Morinorum Britannicum vocare videtur, fortasse ob traiectum inde in Britanniam, Ptolemæus, apud quem in locum Itii prorepsit, Gessoriacum nomen uale, qua etiam significatione, Britanni Bowlin Ilong uocitant.
Bononia Galliae. <259>	Nam Gessoriacum fuisse maritimum illud oppidum, quod Amianus Bononiam, Galli Bolongue, Belgæ Beunen, nos Bolen uocamus, asseueranter contra Boethium Scoticum & Turnebum affirmarim; cum ex B. Rhenani autoritate, qui tabulam militarem antiquam uidit, in qua scriptum 'Gessoriacum, quod nunc Bononia,' tum itineraria ratione, quæ exacte respondet distantiae, quam inter Ambianos, & Gessoriacum interposuit Antoninus. Sed quod instar omnium est, pyriticam Carausii factionem, quam Gessoriacensibus muris inclusam, & captam retulit Panegyricus Constantio A. dictus: alter ad Constantinum Maximum eius filium, ad Bononiam fuisse deuictam commemorat, ut Bononia, & Gessoriacum sit necessario unum idemque oppidum, vetustiusque nomen sub eo tempore exoleuisse videatur. Nec enim iudicandum est, tantos auctores ad tantos principes, in huius loci notatione (recenti tum memoria) aberrauisse. Sed quid mihi cum Gallia? Certe horum memoriam libentius vsurpauit, quod maiorum nostrorum uirtus sæpissime hac in ora emicuit, qui Caletum, & Gessoriacum Gallicis extorserunt, quorum hoc supplicanti Gallo, post octennium pacta pecunia reddiderunt, illud uero, annos CCXII. Gallo fremente, tenuerunt.
* Pag. 272. æditione Basiliens. * Pag. 251.	
Sandon. Deale.	Nunc Britanniam plenis uelis, & secundo æstu repetamus. A Cantio promontorio in Austrum per aliquot milliaria crebro colle exurgens procurrit litus. Sed cum ad Sandon, id est, tumulum arenarium, & Deale castra uicina peruenerit, quæ Henricus VIII. patrum memoria extruxit, subsidet, planum & apertum mari obiacet. Ad Deale illud, Dole Nennius uocat (& uere opinor, iacentem enim & apertum ad mare, uel flumen planitiem sic hodie appellant Britanni nostri) Cæsarem appulit.
Vbi Cæsar appulit.	
256	
<260>	lisse constans est fama, Nenniusque suffragatur qui barbare scripsit. 'Cæsar ad Dole bellum pugnavit.' Tabula item pensilis in Castro Douerensi, hoc idem comprobauit, fidemque etiam facit Cæsar ipse, qui aperto, & plano littore se terram conscendisse, difficilique pugna a Britannis exceptum memorat. Vnde Lelandus noster in Cignea Cantione
	lactat Dela nouas celebris arces Notus Cæsareis locus trophæis.
Cæsar in Britanniam ingressus. Vide pag. 35.	Ille enim (a cursu paulatim digredi liceat) omnibus, ut Seneca habet Pomponius Sabinus, terra marique captis, Oceanum respexit, quasi orbis Romanus non sufficeret, alium cogitauit, classeque mille nauium (sic ex Cota scribit Athenæus) uel uindictæ de Britannis, qui Gallis opem tulerunt, sumendæ, ut Strabo; uel Britannicarum Margaritarum spe, ut Suetonius; uel gloriæ cupiditate ut alii tradunt, inflammatus, anno ante Christum natum LIIII. & rursus sequenti, Britanniam ingressus est. Cum antea, non ut fabulatur Rogerus Bachonus, speculis in ora Gallica dispositis, & arte Catoptrica quæ latentes species multiplicat; sed per speculatores, ut ipse, & Suetonius contentantur, portus & nauigationem explorasset. Quid hic gesserit ipse satis fuse literis mandauit. Sat mihi sit de illo e scriptoribus pauca, quæ minus sunt protrita, paucis adnotare. Cum

In libro de arte
& natura.

hanc insulam adiret, licet tot rebus gestis clarissimus esset, ea fuit temperantia, & a nostri seculi pompa adeo alienus, vt tres solummodo domesticos in famulatu haberet. Quod Cotas qui tunc secundum in castris locum obtinebat, in Commentario suo Græco de Romanorum Repub. (authore Athenæo) prodidit. 'Cum Britanniam peragraret' inquit Seneca, 'nec Oceano fœlicitatem suam continere posset, audiuit, decessisse filiam, publica secum facta ducentem: sed tam cito dolorem vicit, quam omnia solebat.' Hoc ipso etiam in loco cum secundo Britanniam aggredere, vt ex amissis Suetonii monumentis habet Eutropius: 'Scæua miles Cæsaris cum quatuor commilitonibus nauicula ante transuectus est ad scopulum insulæ propinquum, atque interea recessu Oceani destitutus est. Complures Britanni in paucos Romanos impetum faciunt: cæteri tamen qui perrari comites ipsius fuerant, nauigio redeunt: Scæua imperterritus manet, vndique telis obrutus: ac primo pilo restitit, postremo gladio rem gerit solus in plures. Cumque fessus, vulneratusque esset, & galeam ac scutum ictibus perdidisset, cum duabus loricis natauit ad castra Cæsaris, & poposcit ab imperatore veniam pro temeritate, quem Cæsar Centu-

<261>

257

tionatus honore subuexit.' Hic ille Scæua est cuius virtus in bello ciuili, Dyrrachii clarissime emicuit, quemque natione Britannum fuisse Poeta noster Iosephus in Antiocheide prodit, in his de Britannia versibus

Hinc & Scæua satus, pars non obscura tumultus
Ciuilis, Magnum solus qui mole soluta
Obsedit, meliorque stetit pro Cæsare murus.

Thorax Veneris.

Alia Cæsaris in nostra regione gesta ex ipso petas. Nec enim ego grandæuum illum Britannum conueni, quem M. Aper (apud Quintilianum) in hac insula vidit, qui se fatebatur pugnæ interfuisse qua Cæsarem arma inferentem arcere littoribus aggressi sunt. Nec ego historiam iam conscribere in animo habeo. E Britannia victor reuersus, thoracem ex Britannicis margaritis factum, vt apud Plinium legimus, Veneri Genetrici in eius templo dicauit. Captiuosque, vt author est Honoratus, nonnullos Britannicos ad officia Theatralia, Aulæaque etiam, in quibus suas victorias Britannicas depinxerat, donauit. Quæ cum Britanni, qui in ipsis picti erant tollere solebant, cecinit Virgilius.

Purpleaque intexti tollant aulæa Britanni.

Naualia Cæsaris
castra.

Verum iam satis exorbitauimus: ad propositum reuertamur. Huic littori satis longo tractu cumuli, velut aggeres subsunt, quos ventus conuerrisse nonnulli suspicantur: ego vero munionem, seu potius naualia castra esse existimo, quæ Cæsar decem dierum labore, ne nocturnis temporibus intermissis confecit, vt in ea afflictas naues subduceret, contraque tempestates, & Britannos, qui eas frustra sunt adorti, tutaretur. Audio enim ab

Darellus.

accolis hunc aggerem Romesworke vocari, quasi Romanorum opus. Eoque magis credo Cæsarem hic appulisse, quod prodat septimo hinc milliari (sic enim legit antiquus liber a Fl. Constantino viro consulari emendatus) mare ita montibus angustis contineri vt telum ex locis superioribus in littus adigi possit.

<262>

Sampetra.

Certe statim a Deale cautium eminentia (moles magnificas vocat Cicero) Crythmo quam Sampetram vocant fœcunda per septem plus minus milliaria ad Douer procurrit, vbi dehiscit, & se transeuntibus aperit; eaque loci est natura, vt perinde ac Cæsar scribit, inter duos colles mare admiserit, & continuerit. Hoc cautium diuortio †Durbis interiacet, cuius Antoninus meminit, Saxones Dofra dixerunt, nos Douer. Inditum nomen scribit

Dubris.
Douer.

ex Eadmero Darellus, quia clausus, & impeditus erat. 'Cum enim,' inquit, 'antiquis temporibus valde eo loco portuosum mare se diffunde-

Suffraganeus Archiepiscopi Cantuar.

<263>

ret, necessitate vrgente, sic effectum est, vt arctioribus quibusdam limitibus constringerent.' Guilielmus Lambardus tamen nominis ratio= nem a Dufyrtha, quod Britannice locum accliuem significat probabilius deduxit. Oppidum quod inter cautes considet (vbi portus ipse olim fuit, quum mare se insinualet, vti ex anchoris, & nauium tabulis erutis colligitur) portus opportunitate, quæ iam fere nulla est, & in Galliam traiectu magis celebratur, quam sua vel elegantia, vel frequentia. Celeberrimus enim est traiectus, cautumque olim lege erat vt nemo qui religionis gratia peregre proficisceretur, alibi traiceret. Qua Oceanum iam glareæ interiecta exclusum spectat, mœnibus præcinctum fuit, quorum pars aliqua superest. Templum habuit Martino sacrum, a Victredo Cantii rege fundatum, militum etiam Templariorum ædes, quæ iam disparuerunt, sedemque præbet Archiepiscopi Cantuariensis suffraganeo, qui cum grauioribus Archiepiscopus negotiis districtus sit, quæ ordinis sunt, non quæ iurisdictionis episcopalis gerit. E colle, seu potius rupe, quæ a dextra, omni fere ex parte confragosa in admirandam altitudinem exurgit, castellum amplissimum instar vrbeculæ, opere munitissimum, & turribus frequentissimum subiecto freto quodammodo minatur: 'Clauem & repagulum Angliæ' vocat Matth. Parisiensis. Vulgus hominum a Iulio Cæsare constructum somniat. A Romanis primo conditum ex lateribus illis Britannicis in sacello, quibus vsi sunt in suis substructionibus, arbitror. Præcipitante in occasum Romano imperio, Numerum Tungricanorum, qui inter auxilia Palatina numerabantur, hic in præsidio collocarunt, e quorum apparatu sagittæ illæ magnæ videntur, e basilicis solitæ emitti, quas pro miraculis iam ostendunt castellani. A Saxonum ingressu, vsque ad confectum eorum imperium, nusquam, ne verbum de hoc castro, siue oppido legerim, nisi in schidis quibusdam ex tabula pensili hic asseruata, descriptis, quæ memorant Cæsarem, cum ad Deale appulisset, & ad Bardowne, (hæc equitabilis est planities adiacens, & explicandis copiis opportuna) Britannos profligasset, Douerense castrum inchoasse, Aruiragum postea contra Romanos muniuisse, portumque obturasse. Arthurum deinde, & eius milites, nescio quos rebelles hic deuicisse. Cæterum paulo ante Normannorum aduentum, vnicum Angliæ munimentum habitum fuit, eoque nomine, Guilielmus Normannus Haraldum iureiurando adegit, vt hoc castrum cum puteo sibi in manus traderet, cum regnum affecta=

259

<264>

ret: compositisque Londini rebus nihil prius habuit, quam hoc commune, nobilibusque latifundia in Cantio assignare, ea lege, vt præsto, cum certa militum manu ad hoc propugnandum forent, quod nunc tamen annua pecunia redimitur. Fertur etiam Philippum Augustum Galliarum regem dixisse, cum Ludouicus filius res nouas in Anglia moliretur, vrbesque quasdam caperet: Ne in Anglia filius habet, vbi vel pedem ponat, si Douerense castrum in potestatem non redegerit; vtique quod totius Angliæ munitissimum & Gallo opportunissimum.

In altera rupe, quæ est e regione, & æquato fere iugo, ædificii cuiusdam perantiqui supersunt reliquiæ. Quidam, nescio qua persuasus ratione, Cæsaris Aram dixit: sed Thom. Twinus Cantuariensis, senex eruditus, qui adolescens illud magna ex parte integrum vidit, Pharum fuisse mihi affirmavit quæ nocturno nauium cursui ignes ostenderet. Cuiusmodi altera ex aduerso ad Bononiam extitit a Romanis posita, & longo post tempore a Carolo magno restaurata, (vt testatur Regino, apud quem corrupte Phanum pro Pharum legitur) quæ nunc Gallis Tour d'order, Anglis The old man of Bullen vocatur. Sub hac rupe pa=

Douer Peere.	trum memoria Henricus Octauus rex potentissimus, maximo labore, & infinitis impensis, defixis in ipso mari trabibus ingentibus, stilis colligatis, arborum, saxorumque cumulo iniecto molem, seu pilam, nos The Peere vocamus, eduxit, qua tutius naues subsisterent. Sed optimi regis studium inhorrescentis Oceani furor cito deuicit, operisque compages crebris fluctibus verberata se laxauit. Ad quam instaurandam Diua nostra Elizabetha magnam pecuniæ vim erogauit, & Parlamentaria autoritas singulis Anglorum nauibus, quæ merces exportant, & important, vectigal in septennium imposuit.
Folkstone.	Hinc cautes ex creta, veluti serie cohærentes, per v. miliaria perpetuum habent dorsum vsque ad Folkstone, quod olim floruisse Romanorum numismata quotidie inuenta persuadent, quo autem nomine incertum. Ex illis turribus fuisse probabile est, quas Romani ad Saxones arcendos (Theodosio Iuniore regnante) 'per interualla' (vt inquit Gildas) 'ad meridianam Britannicæ plagam in littore collocarunt.' Saxonibus religionis nomine celebre fuit, a †manasterio quod Eanswida Eadbaldi regis Cantii filia virginibus consecrauit: nunc vero viculus est, eiusque partem maximam abrasit Oceanus. Barones tamen suos ex familia de Abrincis habuit, a quibus ad Hamonem de Creuequer & per eius
Barones de Folkstone.	
260	
Saltwood.	filiam ad Ioannem de Sandewico, cuius e Ioanne filio neptis Iuliana titulum Ioanni Segrauo in dotem attulit.
Hith, siue Hide.	Conuersa inde ad Occasum littorum fronte (vt Saltwood castrum Cantuariensium Episcoporum quod Courtinæus Præsul Cantuariensis adauxit, omittam) ad quartum milliare Hith sedet, e quinque portibus vnus, vnde & illud nomen assumpsit, quod Saxonibus portum sonat; licet nunc vix illud nomen tueatur ob arenas accumulatas, quibus mare longius excluditur. Nec tamen ita diu est, ex quo primum emicuit, ex occasu scilicet Westhythi, Oppidulum illud est ad occasum vicinum, portusque fuit, donec hinc se mare proauorum memoria submouerit. Originem autem vti & Westhithum Limo viculo adiacenti debuit, qui olim celeberrimus erat portus, donec arenæ quas mare euomit, obstruxissent. Antoninus & Notitiarum liber Portum Lemanis vocarunt, Ptolemæus <limēn>, quod cum apud Græcos significatiuum sit, Librarii vt viderentur defectum supplere <kainos limēn> scripserunt, Latiniq; interpretes 'Nouum portum' inepte conuerterunt: cum loci nomen Limen, vel Leman fuerit, vti hodie Lime. Stationem hic sub Comite littoris Saxonici Præpositus numeri Turnacensium habuit. Viaque hinc Militaris saxis constrata, ad Cantuariam pertingit, quam Romanorum fuisse opus facile diiudices, vti etiam castrum, quod in deiectu collis, decem quasi iugera inclusit, mœniumque reliquæ supersunt Britannicis lateribus, silicibus, calceque cum arena & grumis intrita sic compactæ, vt nec dum vetustati cesserint. Nunc vero licet portus non sit, dignitatis tamen pristinæ vmbra non tenuem retinet. Guardianus enim portuum hic solemne iniit iusiurandum, vbi primum magistratum inuit, & hic de causis inter portuum incolas statis diebus cognoscit.
Portus Lemanis. Lime.	
Rumney Marsh.	Nonnulli existimarunt magnum flumen hoc in loco se exonerasse, quod vnus, & alter scriptor de Lemano fluuiio, & Lemanis ostio meminerint, ad quod Danica classis anno salutis 892. impulsam fuerit. Sed falsos eos in loci descriptione opinor, tum quod nullus hic fluuius nisi tenuis admodum, qui statim despectus emoritur: tum quod Huntingdonensis Archidiaconus pressæ fidei author, illam classem ad Lemanem portum appulsam scribat, nec verbum de flumine habeat. Nisi quis sentiat (quocum ego sentire non ausim) Rother flu. qui sub Rhy Oceano commiscetur, hac defluxisse, cursumque paulatim immutasse, cum campestris illa planities Rumney Marsh terræ accresceret. Hæc enim campestris

- <266> regiuncula, quæ a Lemani X. mill. in longitudine, VII. latitud. occupat, luxurianti viriditate saginandis pecoribus aptissima, maris beneficio terræ paulatim accreuit. Vnde maris donum appellare non immerito possim, perinde ac Ægyptum fluminis Nili donum vocarit Herodotus. Mare namque vt paria faceret, quod alibi hac ora hauserit, hic reddidit, vel recedendo, vel li= mum subinde apponendo; adeo vt Rumney oppidum e quin= que portuum numero, quod auorum memoria mari incubuit, duobus fere milliariibus a mari nunc disiungatur. Quanta sit soli vbertas, quam numerosa armenta pascat, quæ huc saginanda ex vltimis Angliæ partibus mittantur: quanta arte aggeribus contra exasperati Oceani insultus communitur, non facile cre= dat, qui non propius conspexerit. Saxonico seculo huius incolæ Merscware Saxonice dicti erant, & nominis sane significatio cum loci natura optime conuenit, nec ego Æthelwerdum an= tiquum illum scriptorem capio cum prodit 'Cinulfum Merciorum regem vastasse Cantium, & regionem quæ Mersc-warum dicitur: & Herbythum Ducem a Danis in loco Mersc-warum truncatum fuisse,' si hanc ipsam regiunculam non innuerit. Rumenal quod hodie Ould Rumney appellatur præcipuum erat oppidum, cuius in= colæ, vt est in Regis Guilielmi primi libro, 'fuerunt quieti pro ser= uitio maris ab omni consuetudine, præter latrocinium, pacem fractam, & Foristell.'
- i. Marshmen
- 795
- Ould Rumney.
- Anderida.
Andredcester.
- <267>
- Sub hac, terra in Ortum euecta longius procurrit, (Nesse, quasi nasum vocamus,) cui insidet Lid, satis frequens oppidu= lum. Inde se reducens recta in occasum fertur, vsque ad Ro= theri ostium, quo alicubi a Southsexia Cantium disterminatur. Huius decursum a Southsexia parte superius paucis persequuti sumus. A Cantii parte priusquam Oxney insulam spargat, Newenden habet, quod fuisse portum illum diu quæsitum, quem Notitiarum liber Anderidam, Britanni Caer Andred, Saxones Andredsceaster nuncuparunt, fere persuadeor: pri= mum quod incolæ vetustissimum fuisse oppidum, & portum as= seuerent: deinde quod ad Andredswald syluam, cui nomen cre= auit, situm habeat: postremo quod Brittenden. i. Britannorum vallem, Saxones dixisse videantur, (vti etiam Segontium de quo antea) vnde Selbrittenden toti Centuriæ adiacenti nomen. Ro= mani, vt hanc oram contra Saxones piratas tuerentur, numerum Abulcorum, cum eorum præfecto, hic statuerunt. Postea tamen Saxonum furore penitus deletum concidit, Hengistus enim, cum

- Britannos e Cantio omnino exturbare in animo haberet, maxi= mique sua interesse existimaret, si maioribus copiis turmas ad= augeret; Ællam e Germania, cum magna Saxonum manu euo= cauit. Qui dum magno impetu Anderidam hanc oppugnaret, Britanni e sylua proxima insidiantes, ita eum exagitarunt, vt cum tandem post multas vltro, citroque illatas clades, par= titis copiis, & Britannos in syluis fudisset, eodemque tempore in oppidum irrupisset. ita ad vindictam barbari animus exarsit, vt occisis incolis funditus euerterit. 'Locus vero desolatus multis post sæculis transeuntibus,' (vt inquit Huntingdonensis) 'ostendeba= tur,' donec sub Edwardo primo, fratres Carmelitæ e Carmelo Palestinæ recens profecti, qui solitaria quærebant loca, hic mo= nasteriolum ex impensis Tho. Albugeri militis posuerint, oppi= dulumque statim enatum, quod ratione veteris oppidi diruti, Newenden, id est, Nouum in valle oppidum, dici cœpit. Iuxta hanc Newenden in syluestri regione, sunt Cranbroke, Tenterden, Benenden, & alia vicina oppida, in quibus lanificii, siue rei pan= nariæ laus inprimis floruit iam inde ab Edwardi III. tempori= bus, qui propositis præmiis, & plurimis concessis immunitati=
- Res pannaria pri= mum in Anglia.

bus Belgas in Angliam, anno regni sui decimo, euocauit, qui nostros artem illam panni lanei contexendi edocerent, quæ hodie inter Reip. nostræ columina merito numeratur.

Comites Cantii. Nunc vt Cantii Comites suo ordine percenseam, (omissis Saxonibus Godwino, & aliis, qui non hæreditarii, sed officarii Comites erant,) Odo vterinus Guilielmi primi frater, primus habetur e Normannico sanguine, Cantii Comes, simulque Baio= censis Episcopus, vir ingenio prauo, turbidoque, & rebus no= uandis semper intento, vnde post grauissimam, quam concita= rat, seditionem suis sedibus, & fortunis in Anglia a nepote Gui= lielmo Rufo eiectus. Deinde cum Stephanus Angliæ vsufructua= rius bellicosos homines beneficiis sibi astringeret, Guilielmum Iprensem Flandrum eo honore exornauit; vt etiam eadem de caussa Philippo Flandriæ Comiti, Cantii etiam titulum adiunxit Henricus Regis Henrici II. filius, cum res nouas in patrem mo= liretur, sed hic tantum titulo, & promisso tenus Cantii Comes erat. Vt enim habet Geruasius Cantuariensis. 'Comes Flandriæ Philippus suum pro posse spondit auxilium iuueni regi, faciens homa= gium cum iuramento. Cui pro seruitio suo promisit Rex cum toto Cantio, 1000. librarum redditum, Castellum quoque de Roffa, cum Castello de Douoria. Non longo post tempore Hubertus de Burgo, optime

263

de Repub. meritis, suo quasi merito eundem honorem ab Hen= rico III. accepit, vir patriæ vere amans, & qui omnia officia, quæ a ciue optimo patria exigere possit, inter medias aduersan= tis fortunæ procellas cumulate præstitit. Eo sine prole defun= cto, iacuit hic titulus vsque ad Edwardi II. tempora. Ille enim fratri suo iuniori, Edmundo de Woodstock contulit, qui nepotis sui Edwardi III. tutor, falsæ, & iniquæ inuidiæ tempestatem subiit, securi percussus, quod in fratrem depositum, fraternum animum nunquam obscure tulerit, & illum e custodia liberare voluerit. Filii tamen duo Edmundus & Ioannes successerunt, quibus sine sobole mortuis, hunc honorem eorum soror super= stes in equestrem Hollandorum familiam transtulit: Thomas enim Hollandus eius maritus vxorio iure factus est Cantii Co= mes, quem ordine sequuti sunt Thomas eius filius, qui etiam Surriæ Dux, & bini huius filii, Thomas qui ante nuptias præpro= pero fato obiit & Edmundus qui Angliæ Archithalassus, dum Fanum Brioci in Britannia Armorica oppugnaret, accepto vul= nere, anno salutis 1409. occubuit. In his cum hæc familia sua exacta periodo intercidisset, Rex Edwardus IIII. primum Guilielmum Neuill Dominum de Fauconberg, eoque extincto, Edmundum Grey Dominum de Ruthyn Cantiani Comitis ho= nore adauxit, qui Georgium filium successorem habuit. Ille ex Anna Wideuile coniuge prima Richardum Comitem Cantii progenuit, qui sine sobole diem clausit; ex secunda autem vxore Catharina filia Guilielmi Herberti Comitis Penbrochiæ Hen= ricum Grey Equitem suscepit, cuius e filio Henrico nepos Re= ginaldus in Comitem Cantii a Diua nostra Elizabetha anno 1571. erectus erat, cui sine prole defuncto Henricus eius frater successit omnibus veræ nobilitatis ornamentis longe or= natissimus.

S. Brien.

<269>

Habet hæc prouincia paræcias 398.

.....

705

<750>

Toliapis.

Caunus.

Canuey.

<751>

..... E regione Zelandiæ Tamisis nobilissimus Bri= tanniæ fl. in Oceanum illabitur, quo loci duas insulas Toliapin, & Caunam, siue Conuennon locat Ptolemæus. Hæc non= dum nomine concessit suo, sed Canuey appellatur, De altera vero Toliapi sententiam subinde muto, vt Sheppey

Sheppey.	credam præter situm nihil video. Ea enim satis antiquæ est me=
Minster.	morizæ, in scriptoribus nostris Ouium insula vbique dicta. Mona=
Queenborough	steriolum Minster nunc vocant habuit a Sexburga Ercomberti Cantiani regis vxore anno 660. constructum. Castellum ad Oc= casum prætendit elegantissimum & munitissimum, quod Rex Edwardus tertius posuit vt ipse scribit, 'situ amœno, ad terrorem hostium, & solatium populi,' cui Burgum adiunxit, & in honorem Philippæ Hannoniæ Reginæ Queenborough, id est, Reginæ Burgus appellauit. Cui nunc Constabularius præest D. Edwardus Hobeius mihi semper colendus, qui illustre ingenium eruditus studiis inprimis excolit. Magis ad ortum extra Tamisis ostium Tanato insulæ locus vadosus, arenosus, & nauigantibus insidiosus longe præiacet,
	706
Goodwine sands. Lomea nonnullis.	quem Goodwine sands vocant, vbi insulam anno 1097. absorp= tam, quæ Comitis Goodwini patrimonium erat, produnt anna= les. De quo sic Ioannes Twinus. 'Fuit hæc terra valde fertilis, & pas= cuis abundans, paulo humilior quam Thanatos, ex qua transitus per na= uiculam, tria aut quatuor millia passuum longus erat. Hæc insula, insoli= ta tempestate ventorum, imbrium furore turbulento, & inaudita maris rabie immergitur, & eructata arena incredibiliter obducitur, & irrecu= perabiliter in dubiam terræ & maris naturam conuertitur: intelligo enim quid loquor, quia interdum tota fluitat, interdum vero patitur gra= dientes decedente mari.' Forsan hæc Toliapis, ni malis pro Toliapis, Thanatis legere, & nonnullis exemplaribus Toliatis legitur, de qua in Cantio egimus. Hoc in loco immensa aquarum vastitas ita coarctatur, vt Oce= ani fauces inter Europæ Continentem & Britanniam non am= plius xxx. mill. pass. pateant, quæ angustiz Fretum aliis Britanni= cum, aliis Gallicum dicitur, & maris est Britannici limes quod sen= sim littora, quæ quasi coierant, semouet, & terris vasta æqua por= tione cedentibus, Britanniam & Gallias ab ortu ad occasum interluit. Ab hoc Britannicum mare incipit,
Fretum Britan= nicum.	
Mare Britanni= cum.	

<The quantity of text per page increases quite considerably, more than enough to compensate for the newly inserted passages. The additions are as much of a medley as before; some of them reflect a growing interest on Camden's part in the history of English baronies. It was these paragraphs chiefly which attracted criticism from Brooke (1599). – C.F. July 2010.>